



Conradus Tiguri apud Heluetios honestis sed tenuis fortunæ parétabus natus est, anno 1516. Ibi cum felici ingenio esset præditus, ab auunculo sacerdote rei herbariæ perito prima literarum rudimenta didicit, atq; in Latinis & Græcis literis Osualdum Myconium, Petrum Dasipodiū, Thedorum Bibliandrum, Ioannem Iacobum Amianū, & Rodolphū Collinūm præceptores habuit, amplissimo senatu Tigurino annum stipendium liberaliter offerente, quo suam necessitatem subleuare, ac studijs uacare posset. Cum hoc modo adoleuisset, Argentinā descendit, atq; aliquādiu D. Vuolff gangi Capitonis famulus fuit, ubi etiam ab eo Hebraicæ linguæ cognitionem adeptus est. Postea in Galliam profectus, Bituricibus nobiles aliquot adolescentes in Græca & Latina lingua per annum in, fuit, altero deinde anno Lutetiæ permansit & priuatis ferè studijs contetus fuit. In primis autem tum Philosophiæ, rei herbariæ, & arti Medicæ incubuit, atq; in ijs mutis tantum præceptoribus adiutus plurimū profecit. Domum ē Gallia reuersus iuuenis uxorem duxit, atq; pueros in schola per annum docuit. Inde Basileam uenit, & per annum rei medicæ ea in Academia præclarā operam nauauit, ita tamen ut simul aliqua pro typographo, se & uxori sustentandi gratia, conscriberet. Inde Losannam uocatus, per triennium Græcas literas docuit, atq; cunctis gratisimus fuit. Postea rursus in Galliam profectus Monspessulum peruenit, atq; Medicinæ inquirendæ causa per aliquot annos ibidem permanxit. Ex eo loco Basileam reuersus suam doctrinam declarauit, atq; omnium applausu Doctoralia insignia sibi comparauit, & tandem Tigurum in patriam rediit.